MAGNIFICORUM DEI MAGNIFICA MAGNIFICENTISSIMA, EX NATIVITATE FILII

Tam Dei quàm hominis

Potenter declarata:

ET

Decantata

AB

IESAIA DAVIDIS MEURANT Amstelodamensi,
ibidemque Quartanornm in veteri urbis
regione Magistro:

ANNO

PaX ChrIstI tUta est: orbIs qUàM perfIDa IUra.





AMSTELODAMI,

Ex officinâ Iohannis Frederici Stam, Anno M. DC. XXX.

Doctrinâ cœlesti imbutis, Christum, *ac justitiam ejus sitientibus animis*

Hæc

STRENÆ

Loco

DEDICANTUR:

Quare quid rodis tu Mome? & Zoïle rides?
Hæc sunt pacificis, justitiâq; pijs:
Qui, si fortè legant mensuræ dicta retortæ,
Si non sint fidei, susq; ea, deq; ferunt.



MAGNIFICORUM DEI MAGNIFICA MAGNIFICENTISSIMA EX Nativitate FILII potenter declarata.



Agna meo cecini tenui modulamine nuper
Bellorum tua facta, Deus, *cladesq; fugasq;*
Opposita gentis patriaq; arisq; piorum,
Principis *arma parans nostri*, Patrumque Ducumque,
Atq; triumphali curru, captisq; trophæis
Illos ad patrias ædes, populumq; reducens
Lætos, & lætè faciens vt cuncta resultent,
Mirum opus ecce tuum: sed nunc majora canemus,
Non quæ tela ducum, nec militis arma ministrant,
Tu quibus urbe soles, regnis, rebusq; potiri
Pro nobis nostrisq; aris pugnando potenter.
Scilicet aggrediar dictu mirabile cœptum,
Immensæ bonitatis opus, magnaq; salutis
Consilium magnum grato celebrare palato,

Et cum Christiadum turba memorare sonanti
Gutture mira, Potens, *tua, quæ sunt plena stuporis,*
Arcaniq; tui sensûs, mentisq; recessûs
Mirandos fructûs, quos ex natalibus Adam
Matre hominis, te Patre Dei, *quem nomine* Iesu,
Gen. 3. *A re designas,* Adam *cum stirpe nepotum*
Primus, deceptus mendacis fraude colubri,
Percipit, hic memori conabor mente referre.
Sed quia circumiens humani nominis hostis
Nocte dieq; studet, diro quem mordeat ore,
Mancipijsq; suis, est quorum magna caterva,
Utens insequitur, quorum præcordia novit
Hoc ardere bonum, fideique amplectier ulnis,
Artibus atque modis vafris vafer omnibus illos;
Te rogo, teque precor, pro me stes, & mea cœpta
Ut tua defendas, & erunt, te vindice sôlo,
(Solus enim potis es, vah ô sine viribus illi
Dique deæque, quibus vatum se turba coronat,
Quosque suis modulis quasi percita præficit æstro)
Tuta, & præsidij densâ munita coronâ,
Propositumque pium cursu dabis ire secundo
Non minus ad finem: Quorum sic ordior ausum.
Phœnicem *perhibent, postquam traxisset in annos*
Plusquam tercentum vitam, generasse medullis
Ex putridis, ignique suis ex ossibus ustis
Pullum, qui referat genitoris robora vitæ,
Quique sit ut rarus, sic & non amplius unus
Conspicuus mundo: Quod (si non fabula scriptis)
Mirandum sanè, & miro celebranda relatu
Est avis in terris, Phœnixque *vocandus honoris.*
Sed quid natales, fermè sine viribus, hujus?
Quid longam vitam? Quid raram dicimus illam?
Quid miramur avem putrido de verme renatam?
Altius ascendit pia mens, pia viscera tractant
Mystica scripta Dei, *summique oracula* Regis
Scitatum veniunt sitientia corda salutem:
Quippe ea suspiciunt Phœnicem *(audacia dicti*

Vult

Vult veniam) vitæ, quæ ſine carentia ſignat
Tempora, nempe Patrem, *ſuperat quia ſecula cuncta,*
Nominis æterni, cui nec cras nec fuit heri.
Inſuper illa ſtupent non enarrabile Verbum, Ioh.1.1.
Æternam ſobolem, Genitor *Deitatis amore*
Quod ſummus generat, referens de lumine lumen, 2. Cor.4.4.
Perſonæque Patris *fulgens claruſque Character* Philip.2.6.
Factus amuſſatim, Deus *eſt, Deitatis* Imago Hebr.1.2.
Distinctè impreſſa eſt tota & ſine partibus illi,
Cujus origo quidem Pater *ut* Pater; *attamen illo*
Nil prius eſſe datur, ſimul eſt Deus *atque coævus,*
Principium ſine principio, myſteria magna! Hebr.13.8.
Sed cur hæc refero tam mira latentia Cœli!
In terram potius mens ſe demittat ab alto,
Et miremur opus noſtræ prægrande ſalutis.
Scilicet hic tantus Pater *æthere miſit ab alto* Matt.1.18.
Hunc tantum GNATUM, moribundos corporis artus Ioh.1.14.
Virginis *ex alvo thalami lectique virilis* Hebr.2.14.
Ignaræ, ſanctam celſi per Numinis *Auram,*
Indutum, ſimilemque homini ſine crimine factum: Hebr.4.15.
Ut Deus *atque* Caro *ſimul id, quod dia* Voluntas
Atque Favor Placiti, *nulla virtute movente,* Eph.1.4.&c.
Vel nullo fidei præviſo in pectore ſigno & 2. 3. &c.
Humani generis: ſed quod mera Gratia Cæli
Ante creata ſemel decreverat ordine rato
Conſilij æterni, reſeret, tectumque revelet Luc.10.22.
Decretum Patris, *referatque ut* Nuntius *altus* Ioh.1.18.
Concilij magni, *ſive ut* Sapientia *rara* Col.2.3.
Fœdera rara Patris, *pacemque monentia ſigna,*
Non quæ mundana eſt, mundique meretur honorem;
Illa etenim plerumque parit, licet aurea regna 1.Theſſ.5.3.
Iactitet, interitum & miſerum cum morte dolorem:
Sed quæ tranquillos animos facit atque ſerenos, Rom.5.1.
Quæque reconciliat prolapſos crimine læſo Philip.4.7.
Ultori ſcelerum, mitemque bonumque futurum Epheſ.2.14.
In genus humanum denunciat, omnibus unum
Sorte quidem rerum felici, & flumine largo

Felicem largumq́ Patrem: sed mentis amore,
Quos arcana sibi Sapientia noverat antè,
Amplexaturum miro, plenoq́ bonorum
Cornu sparsurum: sic ut nova forma futura
Sit rebus, faciesq́ nova, & nova gaudia terris,
Hæc quibus exoritur Pax, hac quibus obtigit uti:
Nam lupus inter oves pascetur, vipera lædet
Ies. 11. Haudquaquam teneros lactentes, aspidis antra
Infans intrabit depulsus ab ubere matris,
Atq́ ibi colludent concordi pectore lusum,
Nec tamen ullus erit malus error, damnaque nulla
Toto in monte Dei sancto: sed terra Supremi
Cognoscet Decreta Patris, quàm mira salutis
Sit via, quàmque modus mirus conscendere Cœlum:
Ut meritò exclamet: Pax ô gratissima rerum,
Hic quam Præco refert, Patris Sapientia rara!
Et tu, Gnate Patris Pacis prænuncie, & auctor,
Gratus ades, grato nam tu me munere donas.
Quippe Patres primi, cum Cœli oracula pacem
Matt. 13. 17. Hanc per Præcones varios clangore vocali
Sæpius atque iterum resonarent, voce canora
Grates laude sacras cantarunt, menteque læta
Munera grata DEO, thurisque precumque tulerunt
Libamenta focis sacris, & limina diva
Cantibus unanimis implerunt, undique clamor
Hac de Pace pius fuit, undique gaudia magna
Tunc super hoc Cœli Præcone exorta fuerunt.
Insuper obstupuit solium, quod purpura vestit,
Luc. 10. 24. Cujus Sceptra tenent longè latèque Potentes,
Alitis hujus opus cœlestis, grandius illo
Non audisse ferunt, fidei quod lumine cernunt
Magnanimi Domini veteri sub lege renati,
Ut desiderio flagrarint lumine vivo
Cernere & amplecti dulcem hanc placidamque salutem.
1. Pet. 1. 7, &c. Quòd si tantus amor, spes & tam certa futuræ
Hujus ijs fuerit pacis grataeque quietis?
Fatidica haud aliter sperarint dona favoris,

Quàm

Quàm si præsentis pacis rerumque potiti?
Quid nunc ergo silent nostræ præcordia mentis?
Quid nos nostra capit tantarum oblivio rerum?
Cur nova non potius nos carmina fingimus arte?
Cur non docta modos edunt modulamina dulces
Pectora nostra, velut nova res nova gaudia promit?
Atque ita nos, quanto fruimur majore bonorum,
Quàm veteris pacti populus, nunc flumine, tanto
Ut quoque majores dicamus pectore laudes
Supremo Domino, *fideique tenore vocemus?*
Nostra salus Deus *est, robur, fiducia certa.*
In nos ipse quidem fervebat tristibus iris: Iesa. 12.
Attamen ipsius clementia supprimit æstum,
Et Solamen adest magnum mortalibus ægris
Quo recreantur: aquam siquidem nunc fontibus omnes
Lætitiæ ex lætis haurimus mente quieta.
Quare, age, nunc illi persolvat carmine grates
Quantas quisque potest nostrûm, & prece supplice numen
Invocet illius; latèque ingentia facta
Spargite per populos, clarumque attollite nomen:
Commemorate Deum, *qui gentibus ardua fecit*
Divulganda modis, quibus hinc, quibus inde reflectant:
Cantibus ede, Sion, *vocem, & qui habitatis in illa*
Exclamate & ovate simul; nam magnus Iova
Augustusque Deus, *mirandaque præstitit ille*
Vobis ut genti sanctæ, Cœloque beandæ, Gen. 17. 19.
Ut dedit Abramo *serisque nepotibus olim* Luc. 1. 55.
Illius ante fide certa, minimeque fefellit.
Sed quia materiæ sublimis, tamque refertæ
Fructibus, & laudum plenæ, laudumque stuporis,
Versibus hisce meis non possim tangere metam,
Sistet opus, tantumque Deum, *qui prora bonorum*
Dicitur & puppis, precor ut cum pace benignè
Cum Simeone frui sinat hoc, quod credimus ortum,
Antè diu populo speratum, lumine, sanctæ Luc. 2. 19.
Quod Domui *ipsius sit gloria magna futurum.*

ESAIAS DAVIDIS MEURANT.

Symb, Pro Veritate milito.